

XXXVI. « Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici¹. » Ipsam Arcam unde sibi videbantur invicti et unde sibi plaudebant, virtutem et pulchritudinem eorum dicit. Denique et postea male viventes, et de templo Domini gloriantes, terret per Prophetam, dicens : « Videte quid feci Selom, ubi erat tabernaculum meum². »

XXXVII. « Et conclusit in gladio populum suum, et haereditatem suam sprevit. Juvenes eorum comedit ignis : id est, ira. Et virgines eorum non sunt lamentatae³. » Quia neque hoc vacabat in hostili metu.

XXXVIII. « Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduae eorum non plorabantur⁴. » Ceciderunt enim in gladio filii Heli, quorum unius uxor viduata, et mox in partu mortua, propter eamdem perturbationem plangi non potuit honore funeris⁵.

XXXIX. « Et excitatus est tanquam dormiens Dominus. » Videtur enim dormire, quando populum suum dat in manus eorum quos odit ubi eis dicatur : « Ubi est Deus tuus⁶? Excitatus ergo est tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino⁷. » Nullus hoc de Deo dicere auderet, nisi Spiritus ejus. Dixit enim, sicut videatur impiis insultantibus, quod velut ebrius diu dormiat, quando non tam cito quam putant homines, subvenit.

XL. « Et percussit inimicos suos in posteriora⁸ : illos utique qui gaudebant quod Arcam ejus captivare potuerunt : percussi enim sunt in sedibus suis⁹. Quod ejus pœnæ signum mihi videtur, qua quisque cruciabitur, si in posteriora respexerit; quæ, sicut Apostolus, aestimare debet ut stercora¹⁰. Qui enim sic suscipiunt testamentum Dei,

¹ Psal. LXXVII, 61. — ² Jerem. vii, 12. — ³ Psal. LXXVII, 62, 63. — ⁴ Ibid. 64. — ⁵ 1 Reg. iv, 19, 20. — ⁶ Psal. xli, 11. — ⁷ Id. LXXVII, 65. — ⁸ Ibid. 66. — ⁹ 1 Reg. v, 6. — ¹⁰ Philip. iii, 8.

ut vetere vanitate non se exuant, similes sunt hostilibus populis, qui Arcam testamenti captivatam juxta sua idola posuerunt. Et illa quidem vetera etiam illis nolentibus cadunt : « Quia omnis caro foenum, et claritas hominis ut flos foeni. Foenum aruit, et flos decidit : Arca auctem Domini manet in æternum¹, » secretum scilicet testamenti regnum cœlorum, ubi est æternum Verbum Dei. Sed illi qui posteriora dilexerunt, ex ipsis justissime cruciabantur : « Opprobrium enim sempiternum dedit illis. »

XLI. « Et repulit, inquit, tabernaculum Joseph, et tribum Ephræm non elegit. Et elegit tribum Juda². » Non dixit, Repulit tabernaculum Ruben, qui fuit primogenitus Jacob; nec eos qui sequuntur, et Judam nascendo præcedunt ut illis repulsi et non electis, tribus Juda eligeretur. Poterat enim dici merito illos repulsos; quia et in benedictione Jacob, qua suos filios benedixit, peccata eorum commemorata graviter detestatur³ : quamvis in eis tribus Levi sacerdotalis tribus esse meruerit, unde etiam Moyses fuit⁴. Nec dixit, Repulit tabernaculum Benjamin; vel, Tribum Benjamin non elegit, exqua rex esse jam coepit; nam inde fuerat electus Saül⁵ : unde ex ipsa vicinitate temporis, quando ille reptus est atque reprobatus, et David electus⁶, convenienter posset hoc dici; nec tamen dictum est : sed eos potissimum nominavit, qui clarioribus meritis videbantur excellere. Nam Joseph pavit in Ægypto patrem et fratres suos, et impie venditus merito pietatis, castitatis, sapientiae, justissime sublimatus est⁷; et Ephræm majori fratri avi sui Jacob benedictione prælatus est⁸ : et tamen Deus « Repulit tabernaculum

¹ Isai. xl, 6, 7. — ² Psal. LXXVII, 67, 68. — ³ Gen. XLIX, 1-7. — ⁴ Exod. ii, 1. — ⁵ 1 Reg. ix, 1. — ⁶ Id. XVI, 1 et 13. — ⁷ Gen. XLII, 40. — ⁸ Id. XLVIII, 19.

» Joseph, et tribum Ephraem non elegit. » Ubi per næc præclari meriti nomina, quid aliud quam universum populum illum vetusta cupiditate a Domino terrena præmia requirentem, repulsum et reprobatum intelligimus; electam autem tribum Juda, non pro meritis ipsius Judæ? Longe quippe majora sunt merita Joseph, sed per tribum Juda, quoniam inde extitit Christus secundum carnem, novum populum Christi illi populo veteri prælatum Scriptura testatur, aperiente Domino in parabolis os suum. Jam inde etiam quod sequitur, « Montem Sion quem » dilexit, » Ecclesiam Christi melius intelligimus, non propter præsentis temporis beneficia carnalia Deum colentem, sed futura et æterna præmia oculis fidei longe speculantem : nam et Sion Speculatio interpretatur.

XLII. Denique sequitur, « Et aedificavit sicut unicornum sanctificationem suam¹ : » vel, sicut quidam interpres verbum novum fecerunt, « Sanctificium suum. » Unicornui recte intelliguntur, quorum firma spes in unum illud erigitur, de quo alias dicit Psalmus, « Unam petivi a Domino, hanc requiram². » Sanctificium vero Dei est, secundum apostolum Petrum, intellecta « Plebs sancta et regale sacerdotium³. » Quod vero sequitur, « In terra quam fundavit in æternum : » quod habent græci codices εἰς τὸν ἀιώνα, utrum « In æternum, » an in sæculum » dicatur a nobis, in latinorum interpretum potestate est; quoniam utrumque significat: et ideo hoc in latinis codicibus, illud in aliis invenitur. Habent aliqui etiam pluraliter, id est, « In sæcula : » quod in græcis quos habuimus, non invenimus. Quis vero fidelium dubitet Ecclesiam, etiamsi aliis abeuntibus, aliis venientibus ex hac vita mortaliter transit, tamen in æternum esse fundatam?

¹ Psal. LXXVII, 69. — ² Id. xxvi, 4. — ³ 1 Petr. ii, 9.

XLIII. « Et elegit David servum suum⁴. » Tribum ergo Juda propter David: David autem propter Christum: tribum igitur Juda propter Christum. Quo transeunte clamaverunt cæci, « Miserere nobis, fili David : » et continuo misericordia ejus lumen receperunt²; quia verum erat quod clamaverunt. Hoc ideo non transeunter dicit, sed attente commendat Apostolus, scribens ad Timotheum: « Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo labore usque ad vincula, tanquam maleficiens; sed sermo Dei non est alligatus³. » Ipse itaque Salvator secundum carnem factus ex semine David, figuratur in hoc loco nomine David, aperiente Domino in parabolis os suum. Nec moveat quod cum dixisset: « Et elegit David, » quo nomine Christum significavit, addidit, « Servum suum : » non, filium suum: imovero hinc agnoscamus, non Patri coæternam Unigeniti substantiam, sed formam servi susceptam ex semine David.

XLIV. « Et sustulit eum de gregibus ovium, de postfoetantes accepit eum: pascere Jacob servum suum, et Israël hæreditatem suam⁴. » Ille quidem David, ex cuius semine caro Christi est, ab officio pastorali pecorum ad hominum regnum translatus est: noster autem David ipse Jesus ab hominibus ad homines, a Judæis ad Gentes, tamen secundum parabolam ab ovibus ad oves ablatus atque translatus est. Non sunt enim modo in terra illa Ecclesiæ Judææ in Christo, quæ fuerunt circumcisorum recenti passione et resurrectione Domini nostri: de quibus dicit Apostolus: « Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo; tantum autem audiebant, quia is qui aliquando nos persecutus est, nunc evangelizat

¹ Psal. LXXVII, 70. — ² Matth. xv, 30-34. — ³ 2 Tim. ii, 8, 9. — ⁴ Psal. LXXVII, 71.

» fidem quam aliquando vastabat; et in me magnificabant
 » Dominum^{1.} » Jam hinc illæ Ecclesiæ transierunt popu-
 lorum circumcisorum; ac per hoc in Iudea, quæ modo
 in terra est, non est modo Christus: ablatus est inde,
 nunc Gentium greges pascit. Sane de post foetantes inde
 acceptus est. Illæ quippe priores fuerunt tales, de quali-
 bus dicitur in Canto canticorum uni Ecclesiæ quæ con-
 stat ex multis, id est, uni gregi cuius membra sunt multi
 greges; de talibus ergo dicitur: « Dentes tui, » id est,
 per quos loqueris, vel per quos in corpus tuum, velut
 manducando, caeteros traxis; hoc itaque significantes
 « Dentes tui, sicut grex detonsarum ascendens de lava-
 » ero, quæ omnes geminos creant, et sterilis non est in
 » eis^{2.} » Deposuerunt enim tunc velut vellera onera sæ-
 culi, quando ante pedes Apostolorum venditarum rerum
 suarum pretia posuerunt^{3,} ascendentis de lavacro illo, de
 quo eos admonet apostolus Petrus, sollicitos quod Christi
 sanguinem fuderint, et dicit: « Agite poenitentiam, et
 » baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu
 » Christi, et dimittentur vobis peccata vestra^{4.} » Geminis
 autem creaverunt, opera scilicet duorum præceptorum
 geminæ charitatis, dilectionis Dei, et dilectionis proximi:
 unde sterilis non erat in eis. De post has oves foetantes
 David noster acceptus, nunc alias greges pascit in Gentibus,
 et ipsos Jacob et Israël. Sic enim dictum est: « Pas-
 » cere Jacob servum suum, et Israël hæreditatem suam. »
 Non enim, quia ex Gentibus sunt istæ oves, ideo ab illo se-
 mine alienatæ sunt, quod est Jacob et Israël. Semen est enim
 Abrahæ, semen promissionis, de quo ci Dominus dixit:
 « In Isaac vocabitur tibi semen^{5.} » Quod exponens Apostolus:
 « Non, inquit, filii carnis, sed filii promissionis

^{1.} Gal. i, 22-24. — ^{2.} Cant. iv, 2. — ^{3.} Act. ii, 45, et iv, 34. — ^{4.} Id.
 ii, 38. — ^{5.} Gen. xxi, 12.

» deputantur in semine^{1.} » Ex gentibus enim erant fide-
 les, quibus dicebat: « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ
 » semen estis, secundum reprobationem hæredes^{2.} »
 Quod vero ait: « Jacob servum suum, et Israël hæredi-
 » tam suam, » more suo Scriptura repetivit eamdem
 sententiam. Nisi forte quispiam sie distinguere velit, ut
 hoc tempore Jacob serviat: tunc autem sit æterna hære-
 ditas Dei, quando videbit Deum facie ad faciem, unde
 Israël nomen accepit^{3.}

XLV. « Et pavit eos, inquit, in innocentia cordis sui. »
 Quid illo innocentius, qui ullum peccatum, non solum a
 quo vinceretur, sed etiam quod vineceret, non habebat?
 « Et intellectu manuum suarum deduxit eos^{4:} » vel,
 sicut aliqui codices habent, « In intellectibus manuum
 » suarum. » Alius putaret ita congruentius potuisse dici: In
 innocentia manuum et intellectu cordis: hic autem qui
 magis quam alii quid loqueretur sciebat, cordi maluit
 adjungere innocentiam, et manibus intelligentiam. Illud
 propterea, quantum existimo, quia multi sibi videntur
 innocentes, qui non faciunt mala, cum timent ne patientur
 si ficerint; vellent autem facere, si impune potuissent.
 Tales videri possunt habere innocentiam manuum, non
 tamen cordis. Et quæ tandem aut qualis est ista innocentia,
 si cordis non est, ubi homo factus est ad imaginem
 Dei? Quod vero ait: « In intellectu, vel, intelligentia ma-
 » nuum suarum deduxit eos, » videtur mihi eam dixisse
 intelligentiam, quam ipse facit in creditibus; ideo « Ma-
 » nuum suarum: » facere quippe ad manus pertinet: sed
 sicut possunt intelligi manus Dei; quia et Christus sic
 homo, ut etiam Deus. Hoc certe ille David, de cuius est
 iste semine, facere non poterat in populo, cui sicut homo
 regnabat: sed ille hoc facit, cui recte anima fidelis dicere

^{1.} Rom. ix, 8. — ^{2.} Gal. iii, 29. — ^{3.} Gen. xxxii, 28. — ^{4.} Psal. lxxvii, 72.
 5.

potest : « Intelligere me facito , et perserutabor legem
» tuam^{1.} » Proinde, ne ab illo erremus , dum de nostra,
velut ex nobis sit , intelligentia fidimus ; ejus manibus nos
credendo subdamus. Ipse in nobis eam faciat , ut in in-
telligentia manuum suarum nos ducat erutos ab errore,
eoque perducat ubi jam non possimus errare. Hic est
fructus populi Dei , attendentis legem Dei , et inclinantis
aurem suam in verba oris ejus , ut dirigat in eo cor suum ,
et sit cum illo creditus spiritus ejus , ne immutetur in ge-
nerationem pravam et amaricantem ; sed his omnibus
sibi annuntiatis , non solum ad præsentem vitam , verum-
etiam ad æternam , nec tantum ad recipienda bonorum
operum præmia , sed etiam in ipsa bona opera facienda ,
ponat in Deo spem suam.

ENARRATIO²

IN PSALMUM LXXVIII.

I. In titulo Psalmi hujus tam brevi et simplici immo-
randum esse non puto. Prophetiam vero quam hic præ-
missam legimus , evidenter scimus impletam. Cum enim
ista canerentur temporibus regis David , nihil tale adhuc
contigerat ex adversitate Gentium civitati Jerusalem , nec
templo Dei , quod nec aedificatum adhuc erat. Post mor-
tem quippe David , filium ejus Salomonem Deo templum
fecisse quis nesciat ? Dicitur ergo tanquam præteritum ,
quod in Spiritu videbatur esse futurum. « Deus , venerunt

¹ Psal. cxviii, 34. — ² Dictata post expositorum Psalmum LXXVII, de quo
infra n. 3.

» Gentes in hæreditatem tuam^{1.} » Qua loquendi consue-
tudine etiam illud est prophetatum de Domini passione :
« Dederunt in escam meam fel , et in siti mea potaverunt
» me aceto^{2;} » et alia quæ in eodem Psalmo ventura velut
facta narrantur. Nec illud mirandum est , quod Deo ista
dicuntur. Non enim nescienti indicantur , quo revelante
præsciuntur ; sed anima cum Deo loquitur pietatis affectu ,
quem novit Deus. Nam et Angeli quæ hominibus nuntiant ,
nescientibus nuntiant : quæ autem Deo nuntiant , scienti
nuntiant , quando illi offerunt orationes nostras , et ineffa-
bili modo de actibus suis æternam veritatem , tanquam
legem incommutabilem consulunt. Et iste ergo homo Dei
dicit Deo quod discat a Deo , tanquam discipulus magis-
tro non ignorantis , sed judicanti ; ac sic , aut probanti quod
docuit , aut quod non docuit reprehidenti : maxime
quia specie precantis Propheta eos in se transfigurat , qui
tunc futuri essent quando ista ventura. Solent autem in
oratione dici Deo quæ vindicans fecerit , et adjungi peti-
tio , ut jam misereatur et parcat. Hoc modo et hic dicun-
tur a quo prædicuntur , tanquam ab eis dicantur quibus
acciderunt : et ipsa deploratio atque precatio , propheta-
tio est.

II. « Deus , venerunt Gentes in hæreditatem tuam :
» polluerunt templum sanctum tuum , posuerunt Jerusa-
» lem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servo-
» rum tuorum escas volatilibus coeli , carnes sanctorum
» tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut
» aquam in circuitu Jerusalem , et non erat qui sepeliret^{3.} »
Si in ista prophetia quisquam nostrum eam vastationem
Jerusalem intelligendam putaverit , quæ facta est a Tito
imperatore Romano , cum jam Dominus Jesus Christus
post resurrectionem et ascensionem suam prædicaretur in

¹ Psal. LXXVIII, 1. — ² Id. LXXVIII, 22. — ³ Id. LXXVIII, 13.